

Riccardo di Chiaromonte

M 15

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Riccardo di Chiaromonte

M 15

1221-01

Inter acta mortalium unum solum pre ceteris stabile sibi vendicat firmamentum quod nec hostium patet incursibus nec insidias furium ullo tempore formidabit servitium scilicet quod summo domino diligentius exhibetur. Illus equidem nu(n)quam deperit, nunquam eius diruitur fundamentum. Cum igitur inspiratione divina contingeret ut nos Riccardo di Chiaromonte de Clero Monte ad Cavense monasterium pergeremus, multam ibi religionem inspeximus et qualiter ibi Deus pro comuni salute omnium reverenter colitur et devote.

Unde inspiravit altissimus cordi nostro ut sicut fecerunt antecessores nostri felices memorie sic et nos eidem monasterio aliquod beneficium conferremus. Qui nostri predecessores sicut nobis per quoddam privilegium quod ibidem vidimus patefecit, ecclesiam Sancte Marie de Khursimo cum omnibus pertinentiis suis, terris, herbis et montibus eidem monasterio contulerunt. Verum quia propter mala tempora quaedam mala consuetudo eidem ecclesie Sancte Marie fuerat irrogata, videlicet ut ipsa ecclesia domui nostre bovem unum persolveret annuatim et homines casalis ipsius ecclesie domum unam apud Noam nobis annuatim similiter renovarent, nos attendentes preces domni Balsami venerabilis abbatis et totius conventus monasterii nominate, quas super hoc nobis humiliter porrexerunt, predictam mala consuetudinem omnino de cetero cessamus et perpetuo duximus abolendam, ita ut predicta ecclesia Sancte Marie nec predictum bovem nobis de cetero teneatur persolvere nec heredibus et successoribus nostris nec homines casalis ipsius domum aliquam renovare, set tam eadem ecclesia quam homines sui libere de cetero et france vivant sine aliqua molestia vel exatione

que a nobis vel heredibus et successoribus nostris eisdem valeat irrogari. Preterea nos considerantes quia centuplicatam mercedem accipient in futuro qui student religiosa loca de bonis temporalibus ampliare, pro salute anime nostre et predecessorum nostrorum concedimus eidem ecclesie Sancte Marie ut tam ipsa ecclesia quam homines sui per totam terram nostram france et libere utantur omnibus agiis suis, aquis, pascuis, lignis et ceteris necessariis sine molestia et contrarietate nostra nostrorumque heredum et nostrorum omnium successorum; predictus vero venerabilis abbas cum toto conventu nos devote et benigne recepit in orationibus uis, promittentes esse pro nobis et nostris continui oratores.

Ut autem hec omnia supradicta robur optineant perpetue firmitatis, presens privilegium nostro sigillo cereo roboratum fieri fecimus, quod ut firmum sit et non possit ab aliquo violari et manu nostra signo subsignavimus Sancte crucis et testibus ydoneis rogavimus communiri. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense ianuario, nona indictione. # Signum proprie manus domni Riccardo di Chiaromonte de Cleromontequi supra # Signum manus sire Benedicti de Massafra # Signum manus proprie sire Simonis filius Aliberti de Cleromonte # Signum manus sire Ciliberti de Padula.